



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Meditatio 3. Indifferentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

nendum, quando sic oportet, ut salvi fiamus, & habeamus vitam æternam; & quando conducit ad laudem, & servitium Dei.

REFL. Tamen plurimi metu mortis à fine suo discedunt: videamus an simus ex illis.

VOL. Dicamus, intuendo finem, ad quem creati sumus: *magnificabitur Christus in Corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* Philip.

I.

COLLOQUIUM. Petamus donum *fortitudinis, & timoris Domini*: ne umquam vel spe vitæ, vel metu mortis abstrahamur, à laude, reverentia, & servitio Dei, & à viâ æternæ salutis nostræ.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO III.

Indifferentia.

CONGRUA, Quomodo volens finem, debeat circa media indifferens esse, sicut artifex circa instrumenta.

PRÆL. I. Totam illam partem, *Quapropter debemus, &c.* usque ad *preferamus*, inclusive, obiter quasi percurrere.

PRÆL. II. Petere gratiam perveniendi ad illam indifferentiam.

PUNCTUM I. *Sanitas & ægritudo.* MEM. Meminerimus ex præcedenti meditatione, sanitate & ægritudine eatenus utendum vel abstinendum esse, quatenus ad finem conferunt, vel obsunt.

INTEL.

INTEL. Hinc concludamus, quod absque differentia nos habere circa res illas debeamus, & tamquam media vel instrumenta illas considerare. REFL. Respiciamus nos, & inquiremus, an talem indifferentiam habeamus.

VOL. Æstimemus, & observemus Regulam sum. 50. & ægritudinem acceptemus *ut donum de manu Dei... quandoquidem non minus donum est, quam sanitas.* Imò majus, quando magis ducit ad finem.

PUNCTUM II. Divitia & paupertas. MEM. Meminerimus idem de his duabus rebus, ex præcedenti meditatione.

INTEL. Nihil est in divitiis, quod nos ab illo æquilibrio abducere debet: Nam quatenus media non sunt ad finem, nil nisi fucatum, & vanum illis inest. REFL. Cogitemus, an defectu indifferentiæ, per has res à fine abducti non fuerimus.

VOL. Dicamus cum Apostolo Phil. 3. *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam,* hoc est, ut ad finem creationis meæ perveniam.

PUNCTUM III. Honor & contemptus. MEM. Meminerimus, & his utendum vel abstinendum, quatenus ducunt ad finem.

INTEL. Ex defectu indifferentiæ ad has res, potissimum perturbantur Monasteria & Ordines Religiosi, Republicæ, Regna, & Orbis terrarum universus. REFL. Fortè nos ipsi id ipsum viderimus, vel experti fuerimus in nobis, vel in aliis.

VOL

VOL. Quando ità conducit ad finem, dicamus cum Apostolo 2. Cor. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis: & abominemur honores, qui à fine abducunt Hominem, quia gloria ejus stercus & vermis, 1. Mach. 2. amemus indifferentiam.*

PUNCTUM IV. MEM. *Longa & brevis Vita.* Concluseramus hæc duo etiam non aliter esse quaerenda: quàm ob finem nostrum.

INTEL. Per se sequitur ulterior conclusio, quod debeamus esse indifferentes: ne major vitæ amor nos à fine nostro abducat. **REFL.** Et videamus, an non ideò laudem, reverentiam, servitium Dei, & salutem nostram aliquando neglexerimus.

VOL. Dicamus cum Apostolo Rom. 14. *Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Nil igitur debet tollere indifferentiam.

COLLOQ. Petamus donum *sapientia & intellectus*, ad indifferentiam assequendam.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO IV.

Electio.

CONGRUA. Quomodo artifex & quisvis volens finem, eligat instrumenta aptiora.

B

PRÆL.